

H I S T . Z A R I N G O - B A D E N S I S . 163

D II.

EDUARDI FORTUNATI TESTAMENTUM CASTE-
LAUNI CONDITUM.

A N N O M D C.

Ex Tabulario Bada-Durlac.

Nos EDOARDUS &c. incerti de vita, certi vero de aliquando secunda morte, cogitavimus officii esse nostri, ut ad tollendas multas controversias & ad prospiciendum nostris, totique familiæ nostræ mentem nostram per formam paternæ dispositionis aperiremus, quo nobis calamitas nostra, qui ejecti ex nostro Marchionatu sumus & calumniæ adversariorum & justus inde a nobis conceptus metus, plus occasionis suppeditarunt. Itaque omnibus modis, qui de jure valent & valere debent, hanc circa liberos legitimos nostros & Uxorem legitimam, de qua re dubium nullum esse volumus & Cæsareæ Majestati omnibusque Dominis Electoribus probavimus & significavimus, fecimus paternam & maritalem dispositionem & ultimæ nostræ voluntatis declarationem, quæ à nostris successoribus omnino servari debet.

Primum igitur quoad Nos, animam DEO, qui illam sanguine filii redemit, offerimus fovendam ipsius misericordia. Secundo volumus corpus nostrum in Marchionatu nostro jure nobis debito Badensis in Ecclesia Collegiata mandari terræ cum honesto Epitaphio pro majorum no-

Cod. Dipl. P. III.

X 2

